QVÆSTIO MEDICA;

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXIII. NOVEMBRIS,

M. QVIRINO LE VIGNON, Doctore Medico Moderatore.

804

An Calor natiuus ἠθοποιός?

MEDICVM totius naturæ peritum esse oportet: huius studium ingenia recreat, & in perturbationibus oblectat: nihil potest de temperamento, facultatibus, functionibus, moribus, aut vlla partium ὁμογενῶν vel ἑτερογενῶν agi sine eius notitia, in ea nihil fit, in quo mirabile aliquid non lateat: mens quædam est ac diuina vis: cuncta peruadit, vbique fœcunda, vndique parturit, in imis terræ visceribus metalla generat, pura, impura, (nequaquam animata) lapides, vulgares, pretiosos, in animantium corporibus etiam repertos: in aëre meteora, aërea, ignea, quæ ὑπεκχύματα, duorum generum, vnum συστασίων, alterum ἐμφασίων: medijs in ignibus pyraustas: in terris plantas (αὐτοφυεῖς multas) radicibus, surculis, semine, folijs propagatas, è rebus putridis numerosam animalculorum sobolem: animalia ἄλογα perfectiora, imperfectiora: λογικὰ hominem omnium nobilissimum, essentiâ & structurâ caloris innati beneficio spectabilem.

CALOR triplex (eiusdem tamen speciei) cælestis, elementaris, & vitalis, viuentium author & fautor; salutaris ac planè diuinus, omnia per omnia mouens, functionum opifex & administer, influens & fixus, in spiritu qualitas nusquam seorsim existit, verum accidens: forma autem quæ interuentu spiritus & caloris in materia consistit purissima substantia, aduentitij ignea, quem fumosi, fuliginosi, aridi & acres per totum corpus effluxus consequuntur: illum halituosi, suaues ac temperati; vterque tactu dignoscitur, sanorum & febricitantium exemplo, horum calor ad primum manus occursum mitis, blandus, mox acer, mordax, & squallidus tactum non aliter pungit quàm fumus nares & oculos.

HIPPOCRATI Calidum immortale, cuncta intelligit, videt, audit, nouit, præsentia, futura: cum frigido permixtum non molestat, ex his probè temperatis natura constat, seruatur, separatis læditur, dissoluitur, si frigus exuperet vexat, nisi calor occurrat corpori suppetias laturus: nullo eget auxilio, in sanis & non sanis operatur, facilè ac vehementer facultates ciet, conficit & concoquit alimentum, vnde εὔπεπτον τὸ θερμότερον, laxat, rarefacit, indurat, auget, hinc lactentium qui calidiore vtuntur lacte, citiùs dentiunt, leuia sursum tollit, amara & salsa relinquit, cogit, liquat, chyli & sanguinis anadosin, spirituum instaurationem, obstructorum reserationem, excrementorum attenuationem & excretionem procurat, acuit ingenium, juuat memoriam, nec mirum, si omne animantium genus illius ὑπηρετικωτάτου τῶν σωμάτων ope indigeat; vita ἐν τῇ τούτου σωτηρίᾳ, mors ἐν τῇ φθορᾷ.

OMNIA momentum requirunt contrarium quo medium assequantur: calor omnis mediocri frigore gaudet, humor siccitate, ex æquali horum virtute simul coeunte, æquale temperamentum, omnium medium atque temperatissimum, quod fingi potiùs, quàm dari potest: Ex inæquali, inæquale geminum, εὔκρατον ad iustitiam & vires, quo donatum corpus probè suo munere fungitur, & δύσκρατον intemperies potiùs, quàm temperies dicendum: huius multiplices species, quarum non vnus & simplex modus, sed maxima latitudo, ex qua innumerabiles ἰδιοσυγκρασίαι, eæque ἀκατάληπτοι, Medicis diligenter perquirendæ, cùm ab ijs multa & varia morum genera exoriantur, ἄλλοις κατ' ἄλλην κρᾶσιν, pro quorum victûsque ratione actiones & vitæ differunt: Congenitos intellige, qui nos ad agendum proniores reddunt, nec in nobis siti, sed ab aliqua diuina causa profecti solis insunt εὐτυχέσι, quamuis in plerisque animantibus vestigia morum reperiantur, alij siquidem ἔθει καὶ διδαχῇ ex Philosophia orti, ad temperamenti rationem non accommodantur.

SVVS cuique mos est, mille hominum species, nec voto viuitur vno: ex humoris dominatu morum varietas, hinc sanguinei faceti, hilares, simplices, liberales, non multùm ingeniosi, ad venerem apti, visu caliginoso, sensibus obtusis, tardè caluescentes, φαντασιώδεις τοῖς ὀνείρασι. Biliosi prompti ac celeres, iracundi, peruigiles, sensibus vigentes, excrementis carentes, præpropere caluescentes, nigris ac crispis capillis, ad inuenienda media subtiles. Pituitosi inertes, obliuiosi, stupidi, somnolenti. Melancholici taciturni, studiosi, difficiles, libidinosi, pertinaces, meticulosi, ad lycanthropiam procliues, sunt & alij aliarum gentiũ locorũmque mores, à quibus insignis varietas in corporibus & animis. Boreales proceri, robusti, edaces, bibaces, bellicosi: Australes parui, nigri, imbelles, timidi, sed prudentes, ingeniosi, qui in montanis & asperis degunt, aspectu efferatiores, viribus robustiores. An natiua αἰσθήσει, alij liberi, alij serui? sanè quo quisque valuerit temperamento, mox varios induit mores, πάντα γὰρ κατεργάζεται τὴν ἕξιν ...

Ergo Calor natiuus ἠθοποιός.

Proponebat Lutetiæ PETRVS LE MERCIER, Castrithierricus. A. R. S. H. M. DC. XXXIV.

251.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Hommets.	*M. Claudius ...stien.*	*M. Dionysius Allain.*
M. Iacobus Renaut.	*M. Gilbertus ...lon.*	*M. Lazarus Pena.*
M. Nicolaus Langlois.	*M. Vi...*	*M. Iacobus Cousinot. M. & P. R.*